

facta docuerunt. Inter hos, duo quasi ridiculi Philosophi, Leucippus, et Epicurus, mundum omnino animo carere asseruerunt, eumque veluti cadaver effecerunt. Inter hos media via ingressus Aristoteles, mundum qui ei perfectissimus rerum omnium est visus, monstrum fecit, dimidia parte animatum, dimidia inanimem. At prior illa sententia sapientissimorum præstantior hisce duobus tanto est, quanto animatum præstantius est inanimi, et animal perfectum, præstantius est vel monstro, vel cadavere.

Theologi vero nostri, et veteres, et recentes, hanc in re trifariam sunt divisi. Nam alii, Aristotelicum monstrum præferentes, dixerunt, cælum et astra esse animata. Ut inter veteres, Origenes, Hieronymus, Augustinus. Inter recentiores, Aureolus, Scotus, Divus Thomas, Caietanus. Alii vero e contra, id ipsum negaverunt, Damascenus, Lactantius, Basilius, Ambrosius, Cyrillus. Alii vero in ea re incerti ac dubii fuerunt. Et quod prius dixerant revocarunt. Quod Augustino, et Hieronymo, et Divi Thomæ videtur evenisse. Divo quidem Augustino, quia cum duobus locis scripsisset Mundum esse animatum, et magnum quoddam animal revocavit id, non equidem ut falsum: sed quia id nec esse, nec non esse, non haberet compertum, temere a se scriptum fuisse affirmavit. Divus vero Hieronymus, cum prius scripsisset, solem vocari Spiritum. Lucentemque globum lunæ, titaniaque astra et cætera quia essent animata, attamen alibi, Origenem confutat, qui dixerit Solem et Lunam, et astra cetera esse animata. Aut non hoc quidem, sed quod addiderit, propter astra sicut propter homines, Christum esse passum. Et quod Angeli, animandis astris essent addicti. Quod sane merito est reprehensum. Nobis enim est demonstratum. Angelos, non animos, sed mentes seu intellectus esse. Et hoc nomine, eos cum reliquis choris sæpe nos nominat Dionysius. Sed mentes sui natura, nulli addicuntur corpori. Neque ergo cælis, neque astris sunt addicti. Et si addicti essent non ideo sunt astra, et cæli colendi et adorandi, etiamsi ab Angelis moveretur. Quod quidam scholastici intulerunt. Sed hic nimius est Aristotelismus. Quoniam putarunt, Aristotelem docere, cælorum motrices illas, quas ipse principia vocat, et substantias, Mentem esse, quod de prima sola ille dixit, hi de omnibus etiam astris arripuere, et angelos nuncupavere. Ex qua, Aristotelica aut ignoratione, aut ambiguitate, illi quasi nectar inde suxissent, Aristotelis cæco amore, et quæstiones satis multas, sed fatuas omnes, nexuerunt ita, ut inextricabiles, nodo Gordiano magis, sint effectæ. Extra rem quoque sunt, aliæ illæ ipsorum quæstiones. An cælorum, et syderum animæ sint beatæ, an non beatæ. An peccarunt, an non peccarunt. A pœnas sint daturæ, an contra. Confundunt enim Angelos, cum animabus. Inter quæ magna est naturæ differentia. Neque eadem esse potest quæstio utrorumque. Nam si Angelorum pars peccavit, nemo veterum, vel Theologus, vel Philosophus, cælestes animas, peccasse affirmavit. Neque id ullibi, sacra pagina, aut negat, aut affirmat. Sed istorum quæstionantium maior pars, Aristotelis, uti dicebamus, nimium amatrix, et sine quo, non sibi videntur philosophari potuisse, Fidem catholicam, cum impia illius commiscerent philosophia, susque deque terram cum cælo, ubique versant. Et quod alias ex aliis nectentes ambages, et nugas, inferunt. Si Angelus est anima cæli. Ergo motus circularis erit, non solum cælo, sed etiam Angelo circularis. Satis fatua sequella, ex Aristotelis tamen supinate derivata. Oportuit enim prius, constituisse, Angelum esse animam. Cælum esse sphericum, cælum in circuitum moveri. Quæ omnia sunt controversa. Sed hosce supinos philosophos ommittamus. Sacra quidem Biblia (ni memoria fallat) nullo loco, vel negant, vel affirmant, cælum, stella sue, aut mundum, animata, vel inanima esse. Atque ideo sine piaculo, aut impietatis periculo, potuere Theologi, hac in re, in diversas ire sententias. Nobis quoque liceat, quæ ad maiorem Dei gloriam, magis faciant; Fidei catholicæ non repugnent, animarum saluti non officiant, contemplari. Itaque dicamus, non solum astra, et sphæras (si modo sphæræ ullæ in cælo sunt) et cælum totum esse animatum, non Angelis, qui Mentem sunt, sed animis. An ne monstrum cum Peripato mundum faciamus, cum Aristotele met ipso, saniore doctrina, cum Platone, senioribus cunctis, et Græcis, et Ægyptiis, et Chaldæis, mundum totum anima esse præditum affirmamus. Unde sequitur, non solum cælos, partesque eorum, sed